INSIGNIA DIVINAE REVELATIONIS MONUMENTA

QUEIS CHRISTIANA STAT NIXA RELIGIO

ADVERSUS OMNES AEVI HUJUS PHYSIOTHEOS

PUBLICO LITTERARIO CERTAMINE PROPUGNANDA

PER

THOMAM OSHEA ORD. PRAEDICATORUM


PROVINCIAE HIBERNIAE

IN MINERVITANO D. THOMAE DE URBE COLLEGIO

SACRAE THEOLOGIAE AUDITOREM

FACTO CUIQUE A TERTIO JURE CONTRADICENDI.





ROMAE MDCCCXXIX
TYPIS JOSEPHI ET FRANCISCI SALVIUCCI

250.

PALÆSTRÆ · ADITVM
INGENIO · STRENVITATI · ATQVE · DOCTRINÆ
PERICLITANDIS
FELIX · OPPIDO · FAVSTVM · QVE · RESERAT
AVSPICIVM

MAURUS

TITVLO · S · CALIXTI · S · R · E · PRESBYTER
CARDINALIS · CAPPELLARIUS
HANC · COMIS · LVBENS · QVE · IN · SVI · CLIENTELAM
DISPVTATIONEM · ADSCIVIT
AC · RATVS · IMPENSIVS · SE · VOTIS · CONATIBVS · QVE · VINDICIS
CORAM · ADFVTVRVM
CERTAMINIS · IPSE · LITTERARII · ARENAM
SVA · PRÆSENTIA · HONESTAVIT
ID · ERGO · MVNERIS · PRINCIPIS · AMPLISSIMI
EXIMIA · BENIGNITATE · ADSEQVTVS
THOMAS · OSHEA · DVBLINIENSIS · E · FAMILIA · PRÆDICATORVM
PATRONO · INDVLGENTISSIMO
OBSEQVIVM · ET · GRATES · PERENNES
D · O · C ·

EMINENTISSIME PRINCEPS

Quotquot in acie pro virili dimicaturi sunt, illi antea bellicis usque adeo corpus, animumque studiis exercere in castris assuescunt, ut tubæ demum sonitu ciente campum non strenui modo, sed alacres ad arma ruant; quodque jampridem in simulacro pugnæ didicerunt, id vero ingruente certamine minime perhorrescant. Haud secus, MAURE Cardinalis amplissime, delectam illam fortissimorum manum, qui ad bella Domini prælianda faustis semper ominibus cælitus evocantur; haud secus, inquam, agere, molirique oportet, ne ardor unquam periculis invadendis, aut fortitudo victoriæ comparandæ deficiat. Sed arma interim militiae nostræ non æra quidem, non arietes, non sanguine imbutos gladios, non quidpiam denique aliud horrentius illis gerimus, quippe Christianæ, si fas ita loqui, Reipublicæ Coriphæus, idemque Apostolicæ Cohortis Princeps, ipso divinitus afflante Numine, Religionis asseclas universos monet, spiritus armaturam omnes induere, ut possint tela nequissimi ignea repellere. En ideo, quo nos robore, quibusque ad congrediendum instructi præsidiis haud equidem lævo marte pugnemus.

4

Scilicet ipsam Deo statore, ac vindice ævo quolibet ineluctabilem Religionis arcem ingressi, potentis inde fidei loricam clypeosque æternæ veritatis assumimus, immani cuique adgressionum, ictuum, conatuumque apparatui penitus profligando. Atque ut hinc pateat ubinam demum arx illa constet, queis vigeat propugnaculis, quibusque diris ab sævientium hostium impetu aggredi soleat machinamentis; schematis illico retecto velamine, proditam dudum mortalibus divinis oraculis sapientiam, eique mox prophanorum rabie æstuante, objectam nefariam errorum colluviem digito velut innuimus. Quem enim unquam præteriisse arbitrandum, quod jure olim, ac more suo præclare Doctorum celeberrimus Augustinus de illa videlicet sapientia prædicabat, fore utique eam, qua fides saluberrima gignitur, enutritur, defenditur, ac roboratur? *Sed neminem rursus latere potest, quo astu, contentione, ac molimine eamdem appetere, inque omnia vel augustissima illius mysteria acerrime debachari hæresum monstra conentur. Quid igitur rei tantæ ab perduellium incursibus enixe tuendae, quid facto denique erit opus dexteris quibusque ob id certantibus propugnatoribus? Hoc sane primum; mente, animoque, totisque viribus enitendum, quo summa illico scientiæ illius oppido admirandæ fastigia teneant, munimenta corroborent, atque sublimi veluti e Turris vertice telorum jactus vel minacissimos quosque retundant.*

Bene itaque, bene habet, PRINCEPS Eminentissime, quod hoc Superis aspirantibus votum, perpetua hæc item illorum omnium exercitatio, qui a fide stantes arduos ut vis labores, ingentes animorum conatus, maximos demum, atque teterrimos pro ea conflictus nec aggredi renuant, nec pati quo-

quomodo reformidant. Testis et veterum, et recentiorum, quos ipso ab munere Apologistas nuncupavere, longe invictissimus germanæ fidei tutandæ ardor innumeris propemodum, totidemque præclaris editus voluminibus; testis haud secus eximia perillustrium Academiarum ea de re contentio iis omnibus sive lucrandis, sive explodendis, qui ab Ecclesiæ matris gremio facta nequissima secessione desciverunt. Atque, si vero interdum litare absque arrogantiæ nota licet, addam id quoque lubenter; hujus quam memini curæ, fervoris, strenuitatisque testem hanc ipsam Theologicæ disceptationis arenam jure optimo prædicari.

At porro num Is Ego futurus, qui hoc laudis, per quam insigne testimonium mox subeunda dimicatione confirmem? Vereor maxime, et rei protinus deterritus magnitudine, et ipsa ingenii exiguitate commotus. Cumque interea duobus hisce utrinque obversis absistere æquius periculo, quam auspicari negotium debuissem; aleæ nihilominus plenum opus arripere; dumis, salebrisque refertum iter invadere penitus non dubitavi. Et quid revera ni facerem, quod æstuans corde Religionis amor, quod ipsa suscepti a me instituti ratio exposcere, imo etiam efflagitare suo quodam jure videbatur? Sed illud quoque oneri, metuique levando peropportunum accessit, Polemicæ nimirum in hac palæstra disciplinæ Tyronem ingenium periclitantem, per quam jucundo, eoque perhonorifico tueri Patrocinio.

Ita plane, Eminentissime PRINCEPS, *cum Te Auspicem huic meæ concertationi video; Cum in eximiam comitatem, benignitatemque tuam oculos, animumque converto; recreor protinus, in spem erigor, et mira prorsus, atque incredibili alacritate perfundor. Nec vero facilem illam propensionem erga*

me Tuam mirari quempiam existimabo; *dum Te præstantibus*, *longeque nobilissimis in Religionem*, *inque universam orthodoxæ Ecclesiæ doctrinam promeritis abunde cumulatum*, *sacro in Urbe cœtui ab Christiano nomine propagando præesse conspiciat. Intelliget namque Te omnibus perardui muneris partibus feliciter adeo fungi*, *nullis ut parcas inventis*, *laboribus*, *sollicitudinibus*, *quo fidei Christianæ decus toto orbe refulgeat*, *vigeat*, *atque efflorescat. Hinc prona illa*, *atque humanissima Tua voluntas in omnes ad infidelium regiones missos Evangelicæ veritatis Præcones. Hinc rursus præclara insignioris benevolentiæ officia in cunctos lectissimæ spei Adolescentes*, *qui eam ob rem tuo sub regimine, ac moderamine instituuntur. Et hinc denique singulare illud mea numquam memoria excessurum*, *quo me hodie prosequeris optatissimæ clientelæ beneficium*, *quod non tam meum*, *quam nostræ hujusce Guzmanæ Familiæ*, *meæque Gentis*, *atque ipsius fere Religionis edixerim. Nam huic potissimum me*, *meaque imposterum peculiari quadam ratione*, *ac studio devovere constitui*, *natale solum quantocyus revisurus. Oro itaque*, *obtestorque honestissimo sane quorumque proposito rite inchoando jam nunc dexter annuere*, Princeps *Eminentissime*, *ne dedigneris. Spondet id maxime amplissimi in Te Ordinis dignitas. Effert mirifica*, *fastusque nescia morum suavitas*, *atque ipsa demum omnigenæ eruditionis*, *ac sapientiæ amplitudo*, *efficientius pollicetur.*

His Ego vehementer innixus, *ob idque meæ lubenter felicitati gratulatus*; *unum hic tandem a tua humanitate deprecor*, *sinas*, *ut obsequens in perenne devotionis argumentum fimbriam ejus deosculer.*

Quæ fluit ante tuos Purpura sacra pedes.

THESES.

1.

Mortalium quisque pulcherrimam, longeque ornatissimam Orbis universi molem intuitus; Numen extemplo rerum quarumlibet opificem cogitat; Supremum ejusdem cuncta moderantis Imperium cernit; arctumque demum cum ipso entium conditorum nexum, atque ordinem contemplatur.

2.

Vi porro nexus, ordinisque hujus effectuum omnium ad principem sui causam, efficitur protinus natura ipsa excitante, ut quotquot enitent in hac tam mirifica rerum compage sensu, ac ratione prædita entia, maximo eidem a quo pendent Conditori vicem afferant agnitionis, laudis, obsequii, quod est cultum grati animi Deo rependere.

3.

Mentis revera, et cordis ne tantam Numinis Majestatem dedeceat, cultus ille ab hominibus afferatur necesse est; at non id satis, cum animo simul, et corpore homines coalescant, debeantque propterea, duplici accepto munere, utroque pariter Auctori summo referre grates, cultus nimirum interioris, exteriorisque.

4.

Interea tamen hominis indoles laethali præsertim primigeniæ noxæ vulnere sauciata, cultus illius formæ, honestatique determinandæ impar est prorsus; egetque proinde ea de re Numinis ejusdem dictamine, ac magisterio.

5.

Nulla jam vero absurditas, nullus neque obex divinæ huic Cœlestium consiliorum declarationi officere ullatenus poterat. Quin immo et Dei loquentis clementissima bonitate, et hominis illius gestantis imaginem nobilissima conditione attenta, id sane muneris apprime decebat; Hinc ergo divinæ revelationis possibilitas.

6.

Ganniant licet, blaterentque vesano clamore Deistae, quam nuper congruam humano Generi, ac suapte natura possibilem revelationem asseruimus, eam insuper universis Adæ posteris omnino necessariam Numini rite colendo demonstramus.

7.

Sunt autem necessitatis hujus causæ multiplices, gravissimaeque; optima in primis, atque undique accurata in singulis præceptionibus naturalis ipsius legis cognitio.

8.

Sed et quarumdam celsioris ordinis veritatum perceptio humanæ cujuslibet intelligentiæ vires oppido supereminens, haud equidem aliter, quam divino radiante lumine innotescere mortalibus poterat.

9.

Fulsit itaque largiente Deo mortalibus iisdem auspicatissimum, planeque admirabile, ut inquit Apostolus, lumen illud; Quamobrem nemini cui patefiat, Revelationis existentiam inficiari absque dementiæ, atque adeo sceleris nota licet.

10.

Jam de eodem injuriæ videlicet, audaciaeque facinore postulamus, quotquot adversos germanæ revelationi se praebent; quod pleraque illa humanæ rationi impervia, Mysteria nimirum de fide proponat; ea quippe nil absonum produnt; suntque præterea Deo revelante dignissima.

11.

Quo vero eadem sensibus hominum, ingenioque nequidquam apparentia, protinus aliunde consentanea, ac credibilia exhiberentur; notis quibusdam, seu characteribus apprime illustribus donata fuere, queis integra revelatio ab spuriis, iisque mendacibus prophanorum commentis toto coelo discriminatur.

12.

Eas inter præclaras, nec ulli unquam ancipites divini verbi notas, doctrinæ primum undique explorata perfectio, dignitas, sanctitasque refulget, in alium neminem, quam in Deum ipsum auctorem referenda.

13.

Hanc quoque longe nobilissimam altera excipit revera miri-

fica, splendor videlicet prodigiorum testandæ divinitus revelationis *authentiæ*, ac veritati.

14.

Vapulant ideo, nec immerito, ab orthodoxis, cordatisque sapientibus cum recentiorum Fatalistarum Vexillifer Spinoza, tum alter Sycophantæ illius fere gregalis Wolstonus, qui atrox, idemque nequissimum miraculis quibusque indixere bellum.

15.

Aequum id potius, atque adeo necesse rite cogitanti, prodigia veri nominis ab commentitiis, fallacibusque secernere: illa vereri, isthaec explodere; qua nos mente, ac jure pseudo quælibet Gentilium miracula spernimus, exsibilamus.

16.

Non secus interim, ac illi supra naturam omnem eventus veræ, atque divinæ revelationi luculentissimum testimonium afferunt vaticiniorum oracula, totidem nimirum falli nescia Dei loquentis indicia.

17.

Fallit propterea, falliturque hac de re vehementer Grotius, id opinari haud veritus, Prophetarum eloquiis nullam inesse vim argumenti; sed ea solum induci ad fidei Dogma jam creditum illustrandum, confirmandumque.

18.

Notarum porro, de quibus hactenus, explorata consensio

evincit penitus, divinam quam colimus revelationem per Moysem primum publicis tabulis, ac monumentis innotuisse.

19.

Illum itaque omnipotentis imperio primum Hebrææ Gentis Legiferum, Doctoremque constitutum agnoscimus; divinamque revelationem in Pentateucho existere tum ex miraculis, tum ex Prophetiis in eo contentis evincimus.

20.

Ab fide hinc, germanaque historiæ veritate abludunt, quotquot audacter nimium effutiere, Pentateuchum haudquaquam Moysis genuinum; sed spurium alterius impostoris fætum, longo post Moysem tempore cusum existimandum.

21.

Cum iis demum, qui sacris Moysi libris suppositionis, aut fallaciæ notam inurere conati sunt; recentiorem quemdam Philologum et Criticum refutamus, qui edita Lipsiæ elapso anno 1828 nova adumbratione in librum Geneseos, illum autumat non tam Moysi, quam tribus, iisque diversis Auctoribus tribuendum.

22.

Jam licet summam divinorum eloquiorum, legisque præsertim Pentateuchus exhibeat: haud ille tamen unus, atque integer universæ revelationis codex habendus, quin ea pariter et in aliis prisci fœderis libris evidentissime constat.

23.

Sacra præterea quæ novi Testamenti audiunt volumina, et ipsa undique Numinis oracula pandere optimis, planeque inconcussis momentis evincimus.

24.

Atque illud etiam singulos, omnesque cum veteris, tum novi Testamenti libros, ipso auctore Deo Scriptores, ut vocant agiographos inspirante fuisse editos.

25.

Merito exinde in censum, seu Canonem divinarum scripturarum fœtus illos ab Tridentina Synodo relatos suscipimus, ac reveremur; Canonisque ejusdem penitus irrefragabilem autenthiam, ut orthodoxæ fidei sanctionem propugnamus.

26.

At hujus revera fidei jacturam facere dicendi sunt perditi illi, prophanique novatores, qui ut plerosque alterutrius fœderis libros ab divinorum Canone expungerent, quartam Tridentinæ Synodi sessionem, ceu illegitimam, minimeque OEcumænicam repudiarunt.

27.

Ad genus autem, præsensque quod attinet doctrinæ meritum sacris illis codicibus reseratum; nemini profecto licet ambigere, quin tales prorsus utriusque fœderis libri ad nos usque pervenerint, cujusmodi ab initio Numine afflante sunt editi.

28.

Nec quidquam reapse pretii, auctoritatisve nativis exemplaribus ademptum plurimis versionibus arbitramur;quin potius fidei Religionisque incremento, illorum ope consultum, quas dudum Ecclesia probavit,ceu totidem unius,ejusdemque divini luminis reflexi radii.

29.

Latinis omnibus sacrorum Bibliorum editionibus, Vulgata, seu Itala vetus, ut Augustino visum, sive Hieronymi, ut aliis placuit, nedum jure, auctoritateque præcellit; sed insuper tabulis, ac fontibus divinæ revelationis primigeniis in iis, quae fidei, et morum sunt apprime respondet.

30.

Perperam hinc, atque adeo mendacissime e Lutheranorum castris Kemnitius, e Zuingliana secta Calvinus Vulgatæ ipsius editionis errata, mendaque comminiscuntur; quæ nullibi sane in Dogmatibus, præceptisque ad Religionem attinentibus deprehendere licet.

31.

Stat itaque, æternumque stabit auspice Dco præclaris hisce monumentis fulta revelatio; nec iis tamen unis, quod Novatores obtendunt, undique illam constare arbitramur : cum alio insuper oralis videlicet Traditionis medio æqua evidentiæ, ac veritatis luce manaverit.

32.

Etenim quidquid absurdi climinandæ, si potis erant, divinæ huic Traditioni Heterodoxi homiues effinxerint, eis nihilo-

minus, vel ipsa scripturarum oracula jugulum petunt, quæ traditum Dei Verbum, illiusque originem, potestatem, atque excellentiam disertissime promunt.

33.

Atque his quidem traditionibus divini generis ne fraudis unquam, errorisque fuco ab prophanis temerarentur; tesseræ quædam sunt inditæ perennitatis, ac certitudinis, de quibus optime Lirinensis: *quod ubique, quod semper, atque ab omnibus creditum ec.*

34.

Ad quas illico notas, characteresque longe tutissimos vanas plerasque Novatorum traditiones expendentes; Lydio veluti ex lapide earum quarumque ut ut vaferrimam fallaciam detegimns, execramur.

35.

Cum ergo duplicem, si fas ita loqui, divinæ revelationis Thesaurum, ex antedictis vindicare animus fuerit; Scripturam videlicet, ac Traditionem: par hinc præterea, et illud sane gravissimum constituere, neutram regularum illarum se ipsa adeo perspicuam fore, ut nulla prorsus indigeat interpretatione.

36.

Sed hanc interim quoquo modo aggredi, et marte, ut inquiunt, proprio expedire nemini sane cordato licet, planeque sapientissimo Christianæ Reipublicæ civi ullatenus tribuendum.

37.

Absonum hinc, idemque orthodoxæ fidei penitus exitiale Com-

mentum quo *via examinis* promendo e Scripturarum latice divinorum oraculorum sensui, ab Novatoribus obtruditur; jure optimo refellimus, aspernamur.

38.

Cuique enim præcipitem illam, fallacemque viam ineunti in Fidei Controversiis, nedum pronum, sed insuper necessarium est Systematis ipsius dictamine in pessimum *Tollerantismum*, seu *Indifferentismum* ruere.

39.

Neqne id monstri teterrimam revelatæ Religioni cladem minitantis, aliter unquam confodere, ac profligare contingit; nisi objecta protinus indeclinabili auctoritate *Docentis Ecclesiæ*, quæ sive in OEcumenicis Synodis congregata, sive Orbe toto dispersa unanimi Pastorum suffragio infallibiliter de Fide pronunciat.

40.

Denique quod eadem *Rectrix*, ac *Docens Ecclesia* utroque illo modo præstare valet; idipsum potest falli nescio Doctrinæ Apostolicæ Magisterio Romana Sedes, illiusque Pontifex universi Dominici Gregis Pastor divinitus institutus.

Publice Disputabuntur ad S. Mariae supra Minervam Die Augusti hora 21 *cum dimidio. Preerit concertationi* F. Angelus Vincentius Modena. *In Collegio D. Thomae Aquinatis de Urbe Sacrae Theologiae Professor, et Evangelicæ veritatis ad Hebræos Concionator.*

NIHIL OBSTAT.

Fr. Placidus Tadini Ord. Carmel. Censor Theol.

IMPRIMATUR.

Fr. Jos. M. Velzi S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR.

J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesgerens.